

www.e-rara.ch

Bonifacius VIII. e familia Caietanorum principum Romanus pontifex

Selby, Richard Wilfrid

Romae, 1651 ...

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-31275>

Ad lectorem.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)



AD LECTOREM.



LECTOREM cupio, qualem acutissimus Stagirita, arbitrum non aduersarium; veritatis appetentem, non vile cuiusquam mancipium opinionis. Quicumque igitur hæc euolues, candidus depone ambitiosum partiũ studium, omnemq. animi affectum, qui veritati possit impedimento esse. Et vbi pariter certus es, perge mecum; vbi pariter hæsitas, quære mecum; vbi errorem tuum cognoscis, redi ad me; vbi meum, reuoca me; vbi falsus sum, doce; vbi fallax, caue.

Arist. lib.
de celo

Angst.
lib 1. de
Trinitate
c. 1.

Id. lib. 2.
cõtra Acad.
dem. c. 5.

Si alij aliter tradiderunt res Bonifacij, vide quo accesserunt animo ad scribendum, fidele enim testimonium est, quod causas mentiendi non habet. Multi sunt? ut thesaurum nummi adulterini non augent, sic testium quantumuis copiosus numerus, iniquam accusationem equam

S. Hier.
ep. ad Sal.
uinum 1

Baron. to.
112. an.
1125.

aquam non reddit. Non numero historicorū, inquit Baronius, veritatem historiæ consuevimus æstimare, sed quantà fide pollet author cuiuslibet assertionis. Nam reliquos primum sequi authorem, & eius vestigijs inhærere frequentius in more positum reperimus. *Vetusti*

Helidor.
Aethiop.
lib. 10.

sunt? veritati non præiudicat antiquitas: *Magni?* fastigia dignitatis non respicit æquitas, sed is regnat in iudicio, qui probabilioribus utitur rationibus. *Seposito igitur partium studio, vincere, regnare, triumphare finas rerum omnium pulcherrimam veritatem.*

Vopiscus
in Aureliano.

Dictum præclare fuit a Iunio Tiberiano apud Vopiscum; ergo Theritem, Sinonem, cæteraque illa prodigia vetustatis, & Nos bene scimus, & Posterius frequentabunt; Diuum autem Aurelianum, clarissimum principem, severissimū imperatorem, per quē totus Romano nomini orbis est restitutus, posterius nescient? Ita plane semper me ægrum habuit, ineptias & monstra quædam hominum historijs coli, & perennare; sapientissimum autem & præstantissimum Pontificem Bonifacium VIII. cui iura debent lumen, Ecclesia maiestatem, amplitudinē fides, cæli decus; nedum obscuri, neglectique, sed miserandi nominis fuisse.

Verum enim vero, si omnes omnium virtutes,

tæ-

tantæ sint, quantas uideri eas uoluerūt, eorum ingenia, qui uniuscuiusq. facta descripserūt, multū plane Bonifacio peribit gloriæ, qui exilem adeo historicum nactus fuit. Exilem, inquam, fidelem tamen, et qui omnes iræ et studii causas procul habens, citra pudorem, si non cū laude, tradā illa, quæ maxime consentanea ueritati a fidelissimis historiæ mystis accepi.

Potissimum e Reuer. admodū et eruditissimo P. Oderico Raynaldo, Congregationis oratorii in urbe Moderatore dignissimo, qui sumā suā cū laude, ecclesiasticæ historiæ luce, et emolamēto orbis, *Annales Eminentiss. Card. Baronii cōtinuauit. Ex ipsius doctissimis scriptis multū huic nostræ opellæ accessit, et incrementi, et fidei; ipsi uitam et ualitudinem, cum bonis omnibus, precor, ut cæptum opus, plane aureum, ad nostra usque tempora perducere possit.*

Reuerendiss. D. Constantinus Caietanus bonæ mem: primam mihi mentem iniecit huius operis scribendi, & suæ instructissimæ olim bibliothecæ, & præstantium in eā documentorum Caietanæ familiæ copiā fecit. Qui uir is fuerit, Leo Allatius, quo nec ipse Athenæ atheniores, et cuius ore ipse latine, si loqui uellēt, musæ loquerētur, in suis apibus Urbanus docuit. Is Barnabæ Caietani, magni

e quam uo-

Leo Allatius in Apibus Urbanis in Constantino Caietano.

vocant, Urbis Syracusarum filius, multa familiae
 Caieranae decora, e tenebris in lucem afferuit. Iu-
 uenis pertinacissimi laboris, plurima veterum
 monumenta librosque, propria manu descripsit;
 quin & proprio Marte composuit nonnulla ce-
 dro digna. Eximij affectus fuit in suum ordinem,
 cui dum contra multorum opinionem, certe volun-
 tatem, multos ab alijs usurpatos vindicat, grauem
 illorum offensionem incurrit, & calamos iam
 senex & pugnae impar, plus aequo infensiores sen-
 sit. Quo mense, nonagenarius circiter, obiit, com-
 mentatus est. Tantus quippe illius in literas li-
 brosq; amor, ut eadem prope fuerit viuendi &
 scribendi periodus.

Nec mihi silendus Martinus de Giglijs Pa-
 tritijs Lucensis, vita & meritis grauis, & patriae
 suae multis nominibus singulare decus, tum quod
 plurimae fidei nonnulla nobis subministrauerit, tum
 quod ea familia ortus sit, quae Ioannem, Hierony-
 mum, & Syluestrum de Giglijs edidit, qui Regno
 Angliae multum sua opera profuerunt. Ioannes
 Pontificius in Angliam Quaestor, ab Henrico VII.
 consilijs adhibitus, missus in Galliam fuit ad mo-
 tus Britanniae Armoricae, qui grauissime efferue-
 scabant, componendos. Mox cum Dunelmensi
 Episcopo Romam profectus, ad praestandum Regis
 & Re-

Regni nomine obedientiam Romano Pontifici,
 oratoris postea munus exercuit. Successit illi
 Syluester, cui ob egregiam operam in negotijs,
 quæ Romæ procurabantur, nauatam, Henricus
 VIII. tribus uberrimis illius laudum
 scriptis litteris, purpuram a summo Pontifice eni-
 xeprecatus est. Et impetrasset, nisi ipso in-
 limine eminentissimæ dignitatis, virum optimum
 mors intercepisset. Post mortem illius infule Vi-
 gornenses, et legati dignitas, Hieronymo delate
 fuere, et oratus Pontifex, ut eum vellet in sacræ
 purpuratorum patrum cætum asciscere; Sed oc-
 cæperat Henricus funestam litem cum Romanâ
 Sede, ut tum illius, tum Francisci primi Gallia-
 rum Regis preces frustra fuerint.

Henricus
 VIII. litem
 ris d. tis
 1520. 20.
 Ian 25. et
 April.
 28: Iun.

Accenseatur non tantum opusculo hoc epheme-
 ro, sed eternâ dignus historiâ Illustrissimus et Re-
 uerendissimus Franciscus Albizius, Sacræ Roma-
 næ et vniuersalis Inquisitionis Assessor, qui exi-
 miam laudem ab antiquissimâ et nobilissimâ fa-
 miliâ, (quæ cum Othone III. in Italiam descendit,
 et omnia Reipublicæ Florentinæ munia et ma-
 gistratus administravit, acceptam,) auxit egregijs
 animi dotibus, perfecit autem continuo virtutum
 exercitio, dignitatumque palæstra. Cuius nulla
 vitæ pars grauissimis curis vacua, aut honorificis

latus & Apostolicæ sedis ad Gallias Nuntius ab Urbano VIII. optime mem. Pontifice missus; muneri præstantissimo, & totum poscenti virum, suâ cum laude, & candidis bonorum omnium suffragiis cumulate satisfacit.

Vopiscus
in Aure-
liano.

S. Aug.
ep. 131.

Aristot. S.
Et hic. c.

Officii mei esse putavi eos dicere, per quos profeci, ut suum illos humanitatis præmium apud posteros maneret, mihi autem tantorum auctoritas virorum conciliaret fidem. Si quid mihi imprudenti, certe non volenti excidit a vero abhorrens, dolenti illud facilem donabit veniam, qui cogitabit, historicos, qui errant, habere mendaciorum comites, quos historicæ eloquentiæ miramur duces: & (quidni dicam?) neminem Scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum. Optimus ille est, qui minimis urgetur; Neque tamen eos dixerim non bonos, qui ad mentem S. Augustini, voluntatem mentiendi non habent, nec homines fallunt, nisi ab hominibus humanâ infirmitate fallantur. perdifficile enim est, viâ nullis aut deviiis trita vestigiis incedere, & non errare. Cum igitur argumentum mihi tractetur, a nostro ævo remotum, famæ ancipitis, nullâ contentione firmatum, multorum calumniis obscurum, hominis bene instituti est, ut Princeps Philosophorum ait, tantum cer-

certitudinis a me requirere, quantum argu-
 menti natura patitur. *Mens quidem fuit de-*
mersam puteo veritatē eruere, (nec infeliciter res,
ut spero, cessit) si autem vires mihi, si machinæ, ve-
tusta inquam monumenta, desuerunt, certe non
defuit animus illius appetens, non conatus, non
quicquid ipse afferre potui, aut aliunde comparare
ad eam subleuandam; quæ me etiam errantem, a-
putd æquum arbitrum, excusatum dabunt. Vt cun-
que hæc fuerint, si quid a me secus dictum atque
historia postulat, quod non existimo, certe non vel-
lem, paratus sum recta monentem sequi, ceram
complanare, atque omne illud, quod hominum
quenquam, aut veritatem læsit, retexere.

